



IN NOMINE IESU !
METHODICA
PRÆCIPUO-
RUM ARTICULORUM
FIDEI, SECUNDUM ORDINEM
ARTICULORUM SCHMALCAL-
DICORUM SYMBOLICUM,
REPETITIO,

Cujus
DISPUTATIONEM XXII.

De
SACRAMENTO ALTARIS.
PRÆSES

JOHANNES Deutschmann/

D. & P.P. ac Alumnorum Elector. Ephorus,
ET RESPONDENS

CHRISTOPHORUS Eschenbach/

Liebenvverda Saxo,

proponent

D. Aug. Horis consvetis.

WITTENBERGÆ, Typis Johannis Haken, ANNO MDC LXIII.



IN NOMINE JESU!

1. **E**xposito Initiationis Sacramento, quod *Baptismus* appellatur, sequitur alterum *N. T. Sacramentum*, quod *Confirmationis* esse vulgo perhibetur, & *Cæna Domini*, vel, juxta præsentem *Articulum, Sacramentum Altaris* dicitur. Hanc *Cænam Dominicam* esse *medium nostræ Spirituales restorationis*, apparet (1) ex *Sacramenti generali natura*; nam quia *sacramenta* sunt *media restorationis*, ut *disput. præced. th. 1.* demonstratum, ideo firmiter colligitur, & *Cænam* esse tale *spirituale medium*, cum sit verum *N. T. sacramentum*. (2) ex *Cæna Materia*, quia *Panis sacramentalis est corpus Christi Salvatoris*, & *sacramentale vinum est ipsius sanguis*, ideo mediante *cæna sacramento* nobis *beneficium restorationis* applicatur. (3) ex *cæna energia*, quia *cæna* distribuitur *vescentibus in remissionem peccatorum* *Matt. XXVI. 28.* ubi verò *remissio peccatorum*, ibi certò *restauratio lapsorum* invenitur. Judicat hoc *B. Lutherus* in *Catech. Maj. p. 555.* Ideò ad *sacramentum* accedimus, ut *ejusmodi thesaurum* hic accipiamus, per quem, & in quo *remissionem peccatorum* consequamur. Quare hoc? Ideo, quod *verba illic extant*, & *hec dant nobis* (*Pro vobis datur & effunditur in remissionem peccatorum*) *Siquidem propterea à Christo jubeor edere & bibere, ut meum sit, mibi q̄, utilitatē adferat, veluti certum pignus & arrhabo, imò potius res ipsa, quam pro peccatis meis morte & omnibus malis ille opposuit & oppignoravit. Inde jure optimo Cibus Animæ dicitur, Novum hominem alens atq; fortificans.* Per *Baptismum n. initio regeneramur*; verum, nihilominus *antiqua & vitiosa cutis carnis & sanguinis adhæret homini.* Jam hic *multa sunt impedimenta & impugnationes*, quibus cum à mundo, tum à *Diabolo acerrimè infestamur*, ita ut non raro *defessi viribus deficiamus, ac nonnunquam etiam in peccatorum sordes prolabamur.* Ideo hoc *sacramentum* tanquam *pro quotidiano alimento nobis datum est, ut hujus esu fides iterum vires suas REPARET atq; RECUPERET*, ne in tali certamine aut ter giveretur, aut succumbat deniq; , sed subindo magis atq; magis **FIAT ROBUSTIO R.**

BUSTIOR. Etenim nova vita sic instituenda est, ut assidue crescat, & porro pergendo incrementa accipiat.

2. De hoc Sacramento Confirmationis notanda partim Onomatologia, partim Pragmatologia. Quoad Onomatologiam observandum, quod in hoc articulo duobus potissimum modis Sacramentum hoc insigniatur. Dicitur n (1) Sacramentum altaris, non equidem (α) in sensu Canonico, quasi Canonica scriptura nobis talem appellationem tradidisset: siquidem facile largimur, quod nullibi, per universam scripturam, κατὰ τὸ εἶδος hac appellatio reperiatur (β) nec in sensu Levitico, quo plerunque mutuus inter altaria & sacrificia respectus fuit: sicut n. Levitica sacrificia cessarunt in N.T. sic etiam eorum altaria nullum in eodem locum amplius inveniunt. (γ) nec in sensu Papistico, quasi verum & propriè sic dictum sacrificium, nimirum Missaticum, in cœna detur, adeoque verum & propriè dictum altare necessariò requiratur: sed (δ) in sensu Ecclesiastico & Patristico, quatenus Sacramentum hoc Patres sæpius Sacramentum Altaris nuncuparunt.

3. Dicitur igitur Sacramentum Altaris (1) non propter sacramentiformalem constitutionem, quasi quicquã ad Sacramenti constitutionem Altaris nomen afferat. Nam sacramentum integrum est, licet nullum altare locum habeat, quod ex institutione, vel administratione primã notum. (2) nec ob necessariam inter Sacramentum & altare relationem: nec n. in sacramento quicquã reperitur, quod altaris præsentiam urgeat, nec altare necessarium ad sacramentum respectum involvit. (3) nec ob Missæ Papisticæ & idololatricæ oblationem: hanc n. uti prorsus repudiamus & damnamus, ita neutiquam in ejus favorem Cœnam Dominicam sacramentum altaris appellamus. (4) nec ob necessariam altarium usurpationem. Nam altaria retinemus in nostris Ecclesiis ex Christiana libertate, non ex ulla necessitate, sicut theoria non tantum, sed etiam praxis non rara docent. Multò minus aliis in hoc negotio necessitatem altarium imponimus.

4. Sed vocatur ita (1) propter usum antiquum, cum veterum limites citra necessitatem movendi non sint. Quod a. Vetc.

Veteres ita *Cenam* appellarint, patet ex *August. l. 10. C. D. c. 6. Hott.* inquit, est *sacrificium Christianorum; multi unum corpus sumus in Christo, quod etiam sacramento Altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia, ubi ei demonstratur, quod in ea oblatione, quam offert ipsa offeratur.* Et fatetur hoc ipse *Zvinglius t. 1. lib. Epistol. p. 406. b. Sacramentum Altaris sepe vocant Veteres, ideo quod & Paulus ait: Heb. XIII. 10. Aram habemus, de qua non licet edere iis & c.* Frustra proinde cavillantur nonnulli *Reformatorum* hanc appellationem *Cœna Dominica*, qua *Sacramentum Altaris* vocatur (2) *propter usum consuetum*: quia vulgo superioribus seculis hoc *sacramentum* ita nominabatur; *B. Lutherus* igitur hoc nomen vulgato sono, sed antiquo sensu retinere voluit: *Vocabula siquidem usi valent: & quamdiu possumus, ab usu consueto facile recedere non debemus.* (3) *propter usum mysticum & Ecclesiasticum*. Nā antiqui *Patres*, præter alios fines, etiam hanc ob causam *altarium* usum introduxerunt, & *mensis communibus* eadem prærulerunt, ut ex loco rudiores statim perciperent, non hic vulgarem & communem cœnam in *mensa communi*, sed *Cœnam mysticam* in *mystica mensa* (cum *altarium* usus in divinis mysteriis olim adhiberi solitus) *Christianis* proponi. (4) *propter usum liberum*, quia sicut *altarium* usus non ex ulla necessitate, sed ex mera libertate retinetur: sic etiam hæc appellatio, qua dicitur *Sacramentum altaris*, ex *Christiana libertate* servatur (5) *propter usum discretivum*, ut videl. ab omnibus reliquis sacramentis hac appellatione cœna distingveretur. Nullum n. reliquorum *Sacramentorum*, vel *Veteris*, vel *N. T.* in ara fuit administratum: unde propter solennem administrationem, in ara consuetam, *Christiani veteres Cœnam Sacramentum altaris* appellarunt. (6) *propter usum mnemonicum & commemorativum*, quia *mortis & Sacrificii Christi memoriam* servare, vel *cœnam* in ejus commemorationem usurpare debemus *Luc. XXII 19 I. Cor. XI. 24.* Licet igitur *cœna* non sit *sacrificium*, quod in *ara* sit offerendum, tamē *Christum*, qui nostrum est *sacrificium*, in *ara crucis* oblatum, ad *altare* nobis communicat, ejusque memoriam renovat atque conservat. (7) *propter usum eucharisticum*, quia veteres ad *altaria*

suas *Agapas*, tanquam gratitudinis & vera dilectionis hostias, offerbant, & ad hunc usum altaria retinebant, non ex *Levitica* necessitate, sed ex *Christiana libertate*. Hinc etiam *Cenam Sacramentum altaris* appellabant.

5. (2) *Cæna*, sed intelligitur non corporis, verum anima, i. e. totius, & quidem novi hominis cæna: non vulgaris, sed prorsus singularis, non physica, vel physicis tantum cibis adornata, sed mystica, cibosq; cælesti plenissima: non naturalis, sed sacramentalis: non ad vite naturalis sustentationem, sed ad vite spiritualis collationem & conservationem, æternæ verò, seu cælestis vite certificationem & reparationem instituta. Conf. *Method. Repet. Confess. August. d. 16. ch. 6. seqq.* ubi pluribus hanc appellationem exposuimus.

6. *Pragmatologia* duplici via procedit, & per *Didacticam Thesin*, & per *Elencticam antithesin*. *Thesis* §. 1. proponitur, & considerat suum *Objectum*, quod est ipsa *Cæna*, cum *Cenam Domini*, tanquam *objectum suum*, præsens *Articulus* contempletur quoad causas potissimum, & quoad *subjectum*. *Efficiens causa Principalis Christus Salvator* est. Ubi notandum, quod intelligatur (1) *Causa principaliter instituens*, quia *Christus* solus hanc cœnam paucis horis ante passionem instituit. (2) *Causa principaliter administrans*, quia *Christus* Apostolis cœnam administravit *Matth. XXVI. 26. Marc. XIV. 22. Luc. XXII. 19.* (3) *Causa principaliter præcipiēs*, quia præcepit *Luc. XXII. 19. Hoc facite in mei commemorationem*, quo præcepto sacramentali non tantum *Apostolos*, sed etiam omnes eorum *successores*, imò totam *Ecclesiam*, ad frequentem cœnæ celebrationem, obligavit. (4) *Causa principaliter docens*, sicut *Paulus* indicat *I. Cor. XI. 23. Ego à Domino accepi, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem &c.* (5) *Causa principaliter continuans, conservans & applicans hoc mysterium*, quia semper *Christus* in *Ecclesia* præsens est quoties *Cæna* celebratur & administratur, & merito *principalis Dispensator* hujus sacramenti nuncupatur. Sic n. *Cyrillus* inquit: *Omnes credite, quia etiam nunc illa cœna celebratur, in qua Christus recumbebat. Nihil quippe interest inter illam & hanc. Non n. hæc ab homine, illa à Christo conficitur. Quando igitur*

gitur sacerdotem tibi corpus prabere videris, noli sacerdotis, sed Christi manum ad te porrigi statuere. Christi quoque sapientia & prudentia & potentia tribuendum, quod contra Satanam & mundum hoc Sacramentum ad fidelium salutem in Ecclesia continuatur & conservatur.

7. Quod a. Christus sit Efficiens causa Cœnæ, probatur (1) ex appellatione, quia vocatur $\chi\upsilon\epsilon\iota\sigma\tau\omicron\kappa\omicron\nu\delta\epsilon\iota\pi\tau\upsilon\upsilon\nu$ I. Cor. XI. 20. Mensa Domini I. Cor. X. 21. Panis & calix Domini I. Cor. XI. 27. (2) ex Evangelistarum testificatione Matt. XXVI. 26. Marc. XIV. 22. Luc. XXII. 19. (3) ex Paulina consensione I. Cor. XI. 23. (4) ex Sacramentali conditione, quia Solus Christus, tanquam Ecclesie Dominus, est autor Sacramentorum: Eucharistia v. sacramentum verum & proprie dictum est. (5) ex Materia consideratione, quia Materia celestis verum est corpus & sanguis Christi, quam materiam nemo, præter ipsum Dominum, dispensare potest.

8. Efficiens causa Ministerialis dupliciter h. l. consideratur (1) ratione Doctrina, quia dicitur, De sacramento Altaris sentimus, ubi potissimum ad Ecclesie Doctores respectus habetur, qui secundum Inscriptionem tertie partis Articulorum Schmalcaldicorum, de his articulis omnibus vel intra, vel extra concilium, pias collationes instituere debebant. (2) ratione sacramentalis forma, quia Sacramentum Eucharistie dando, vel communicando, vel distribuendo, l. dispensando, juxta Salvatoris institutionem, administrant, quam ob causam h. l. dicitur: sentimus, verum corpus & sanguinem Christi DARI christianis, ubi datio Ministerialis, juxta sensum immediatum, verborum intelligitur.

9. Quod a. Ecclesie ministri sint cause Ministeriales Cœnæ Dominicæ, probatur (1) Ex Christi præcepto: Hoc facite in mei cōmemorationem Luc. XXII. 19. (2) ex Pauli exemplo I. Cor. XI. 23. (3) ex Ministrorum Corinthiacorum factō I. Corint. X. 16. (4) Ex Ministrorum titulo, quia vocantur dispensatores Mysteriorum Dei I. Cor. IV. 1. Sacramentum Eucharistie v. magnū regni cœlorum mysteriū est: vocatur Ecclesie Ministri Col. I. 25. quæ liberis mysticis per hos ministros suos bona distribuit. [5] Ex Ministrorum officio, quia sunt Christi Ministri. Col. I. 7. cum igitur Christus non
ampli-

amplius visibiliter appareat, per suos ministros sacramenta sua dispensari. *Os ministri os Christi, manus ministri manus Christi, actio ministri actio Christi, sic Christus opera, vel manu ministri hodiè communicat, quod visibiliter in prima cœna suis Apostolis distribuit.*

10. *Instrumentalis causa Dei Verbum est, quod partim sub Altaris sacramento, partim sub cœna termino, partim sub corporis & sanguinis Christi mysterio, partim sub dationis, vel communicationis Sacramentalis modo, nobis indicatur, in quibus omnibus Verbum includitur, vel à quibus etiam præsupponitur. Est autem verbum hoc Verbum Institutionis, ad quod tum Verbum Mandati, tum Verbum Promissi pertinet. Verbum Mandati l. est generale, quod pertinet & ad Pastores & ad Auditores, ad Dispensantes & Communicantes, nisi. Hoc facite in mei commemorationem: Vel Speciale, tum respectu Ministrorum Dispensantium, quo referuntur juxta sensum restrictum & specialem verba Mandati. Hoc facite, Ministros obligant, inquit B. Jacobus Martini diss. 23 Partit. Theolog. th. 33. hæc verba: Hoc facite. Nam etiam si non negamus, illa ipsa ad totam actionem & administrantium & participantium commode referri, Ministri tamen totos præcipere videntur, nempe quod in administratione Sacramenti hujus facere debeant id, quod Christus exemplo suo ad imitandum proposito fecerat. Tum respectu Christianorum communicantium, sic communicationis mandatum hæc verba comprehendunt, Accipite, Comedite. Bibite. Verbum promissi Matt. XXVI. 26. 27. legitur: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: Hic est sanguis meus N. T. qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Confer. Marc. XIV. 22. 24. Luc. XXII. 19. ubi verbis paululum mutatis res eadem nobis promittitur.*

II. *Causa Materialis duplex hic allegatur, vid. Terrestris, Panis & Vinum, Cœlestis, Corpus & sanguis Christi. De Materia terrestri notamus (1) quod Panis & vinum h. l. non καθολικῶς & universaliter sumantur, quasi de quovis pane & vino hoc dici possit, quod sint corpus & sanguis Christi. (2) nec ἀπλῶς, φυσικῶς & naturaliter, quatenus in natura, vel substantia sua considerantur.*

leuc.

ur. Nam hæ ratione panis est, & manet panis, vinum est, & ma-
 net vinum, neque quicquam de corpore vel sanguine Christi par-
 ticipant. (3) Sed ἁποικῶς, συμβολικῶς & μυσικῶς, quatenus ad
 Sacramenti Materialem constitutionem referuntur. Patet hoc
 (1) ex causa materialis ratione, quia materia dicitur ad suam ma-
 teriatum referri, signum, vel symbolum, ad suum signatum, ut utro-
 que conjuncto mysterium unum fiat. [2] ex panis & vini deter-
 minatione, quia Panis & Vinum h. l. disertis verbis limitantibus,
 IN COENA considerantur, adeoque de Pane & Vino non extra,
 sed intra cœnam est sermo. (3) ex panis & vini cum corpore & san-
 guine Christi conjunctione, quia dicitur Panem & Vinum esse corpus
 & sanguinem Christi, nim. in Cœna. Sacramentaliter igitur hic
 Panis & Vini termini supponuntur.

12. De Materia Cœlesti, videl. Corpore & sanguine Christi
 notamus (1) Ipsam naturam, quod h. l. Corpus & sanguis Christi nō
 intelligantur (1) τυπικῶς, quemadmodum in V. T. fideles
 in typicis sacrificiis & sacramentis Christi corpus & sangui-
 nem acceperunt (2) neque ἁποικῶς, per nudam quandam relatio-
 nem, quam panis ad corpus, & vinum ad sanguinem Christi habere
 dicatur. (3) neq; σηματικῶς, vel per meram significationem, q̄s.
 panis & vinum tantum significant corpus & sanguinem Christi (5)
 non πνευματικῶς Spiritualiter, quod corpus & sanguis Christi
 non ipso εἶναι, sed tantum in spiritu præsentia sint [6] sed ἀληθῶς,
 ὄντως & κατ' ἰστίαν, quod panis verè & realiter sit corpus Christi,
 quodque vinum verè & realiter sit sanguis Christi, quodque se-
 cundum substantiam corpus verè sit cum pane, sanguis verè sit cum
 vino. Verum igitur & substantiale corpus, verus itidem & sub-
 stantialis sanguis h. l. intelliguntur.

13. (2) Veram præsentiam. Præsens a. est corpus & sanguis Chri-
 sti [1] non per papisticam transsubstantiationem, qua fingunt, sub-
 stantialem panis in corpus, & vini in sanguinem mutationem, ita
 ut nihil prorsus de panis & vini substantia remaneat. [2] non
 per fictitiam quandam consubstantiationem, quam Calviniani
 nobis, sed citra suffragium veritatis, assignunt. [3] neque
 per localem quandam inclusionem, quia corpus & sanguis Christi

nō localiter, sed illocaliter, supra, citra, ultra, l. etiā extra localitatis rationē, presentia sunt. (4) neq; per expansivā corporis extensionē quasi fingatur corpus Christi per omnia loca, juxta ποσότητά suā, l. etiam κατ' ἔσταυ expansive. (5) neq; per infinitam corporis & sanguinis multiplicationem, qs. per infinita multiplicationis modū presentia sint in cœna. (6) neq; per crassam & capernaiticam adessendi rationem, quasi carnaliter & crassè sint presentia. Nam his & aliis modis in excessu peccatur.

14. Sic & multi peccant in defectu circa presentiam corporis & sanguinis Christi, adeoque sententias eorum etiam rejicimus, & dicimus, corpus & sanguinem esse presentia (1) non per figuratam saltem locutionem, qs. dicantur saltem adesse, non a revera sint in cœna. (2) neq; per nudam significationem, qs. panis & vinum tantum significet corpus & sanguinem Christi [3] neq; per externam representationem per modum imaginis, sicut rex in imagine sua presens esse dicitur. Christus n. non imaginem corporis & sanguinis, sed ipsum corpus & sanguinem distribuit. (4) neq; per typicam præfigurationem, qs. corpus saltem in typo, non in seipso sit presens. Novum n. Testamentum non est typorum, sed ipsarum rerum, & figure nunc presente corpore cessarunt. [5] neque per objectivam apprehensionem, qs. per apprehensionem rei absentis, aut per mentis operationem, de objecto cognito, nim. per cogitationem mentis tantum sint presentia: nam corpus non in mente, sed in pane dicitur esse presens. [6] neque saltem per recordationem, vel commemorationem, qs. memoria tantum fiat absentis corporis & sanguinis Christi: non n. ipsa cœna consistit formaliter in recordatione l. commemoratione, sed finaliter fit ad recordationem & commemorationē. [7] neq; per cœlestem corporis inhabitationem, & nostræ mentis adscensionem, qs. corpus Christi tantum sit in cœlo, & mens nostra cœlum adscendat, Christum apprehendat, & sic eum presentem sibi faciat. Non n. tam in cœlo, quam in cœna corpus & sanguis presentia dicantur. [8] neq; per solam verbi testificationem; nam verbum non est nudum testimonium, sed potius mediū & efficax organū presentia. [9] neq; per nudā sacramentalem relationem: nam sacramenta non sunt relationes, sed actiones, ut

ex institutione sacramentorum omnium apparet. [10] neque per fidei spiritualem tantum apprehensionem, quia non in fide tantum, sed in pane quoque corpus & sanguis adesse dicuntur.

15. Dicimus igitur, Præsentiam Corporis & sanguinis Christi, juxta institutionis verba, statuendam esse [1] Veram, quia verum corpus & sanguis in Cæna dicuntur adesse (2) realem, quia panis non φανωµένος, sed ὄντως & realiter est corpus Christi, quod etiam de vino & sanguine dicendum. (3) Substantialē, quia ipsa corporis & sanguinis substantia dicitur esse præsens: verum corpus, verus sanguis, vel juxta institutionis verba, corpus, quod pro nobis datum, sanguis, qui pro nobis effusus. (4) Sacramentalē, quia per unionem sacramentalem panis est corpus, & vinum est sanguis.

16. Causa Formalis dupliciter hic indicatur, partim generaliter, per terminum Cænae, quod panis sit Corpus in Cæna, vinum sit sanguis in Cæna; & Sacramentum altaris tantum in Cæna, non extra Cænam inveniatur. Ex quo colligitur, quod in actione Cænae forma consistat Sacramenti, siquidem extra usum nullum datur Sacramentum. Partim specialiter, tum quoad formam internam, quæ dicitur alias unio sacramentalis, quia panis est corpus, & vinum est sanguis non per identificationem, vel substantialem conversionem, sed per sacramentalem unionem, quando IN COENA tantum panis, propter Christi Salvatoris institutionem & promissionem, corpus, & vinum sanguis esse perhibetur. Tum quoad formam externam, quæ, respectu administrantium, consistit in δόσε, vel distributione, quando Christianis in cæna panis & corpus, vinum & sanguis datur, vel distribuitur: respectu communicantium in λήψει, quia sumitur à piis & impiis utrumq;

17. Causa Finalis est corporis & sanguinis participatio, quæ dicitur apparet (1) ex scripturae testificatione I. Cor. X. 16. (2) ex cænae ratione, quia propterea cæna paratur, ut convivis apposita fercula per actum cænandi communicentur. (3) ex dationis & distributionis conditione, quia dare respicit accipere, inter quæ duo vera relatio concedenda: & quod accipitur, illius participatio nobis adscribitur. Sic etiam in Cæna datur & distribuitur corpus &

Et sanguis Christi habet in finem, ut ejus participatio sacramentalis inter communicantes fiat.

18. Post *Cænae causas* breviter etiam *Cænae subjectum* adducimus, quod sunt *Christiani*, quia *Cæna Sacramentum* est *Ecclesie*, quod ad *Christianos Ecclesie cives*, non ad *infideles* pertinet.

21. *Antithesis* §. 2. & 3. proponitur, & refellit partim *Papisticam Cænae mutilationem*, quoad *papisticam ποτινεροκλησια* §. 2. in quo partim *orthodoxa*, quoad hanc questionem, *thesis* producitur, quod in *Cæna* non tantum unam speciem dare debeamus, sed potius utramque tum propter sacramenti integritatem, tum propter *Christi institutionem*, tum propter *Sophisticam utriusque speciei elusionem*, quæ fundamenta non obscure postea subindicantur. Partim *heterodoxa sententia Papistarum* refellitur, & quidem, tum quoad *manifestam refutationem*, in qua *thesis ipsa*: *Non indigemus ista doxosophia, quæ nos doceat, sub una specie tantum esse, quantum sub utraq;* & *thesis basis* (1) quia hoc *sophistarum* l. *doxosophistarum* inventum. (2) quia *concilium Constantiense*, primum comitum hoc contra *S. L.* decrevit. (3) quia contrariatur *ordinationi & institutioni Christi*, quæ totum hujus *Sacramenti fundamentum* est. Nam etsi verum esse forte possit, quod sub una specie tantum sit, quantum sub utraq; (quod de presentia personali, non sacramentali intelligendum) tamen una species non est tota *ordinatio & institutio per Christum facta, tradita & mandata*: hinc (4) quia utraq; species est mandata, certè species una sufficere non potest. Tum quoad *manifestam damnationem*, in qua notantur (α) *diversi Damnandorum Ordines*, quorum duo recensentur, *In primis v. damnamus*, inquit *B. Lutherus*, & *execramur in nomine Domini* (1) *Classem omitterentium*, eos vid, qui speciem utramque omittunt. (2) *Classem prohibentium*, quia non tantum eas omittunt, sed etiam tyrannicè eas prohibent, damnant, & blasphemant, ut heresim. Deinde (β) notantur *causæ damnationis* (1) quia hac ratione semetipsos supra & contra *Christum Dominum & Deum nostrum extollunt* (2) quia semetipsos suosque errores hoc pacto opponunt *Christo*, (3) quia hac ratione suam *mutilationem mandato, institutioni & ordinationi Christi præponunt*,

22. Partim *Papisticam Cænae Mutationem*, quæ fingitur in *Transsubstantiatione*, hinc rectissimè *B. Luthero* *Sophistica subtilitas* appellatur, & verè fidelibus nihil prorsus curanda. & c.

VO 17

